



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Ad R. P. Carolvm Scribani Præpositum Prouincialem Societatis Iesv in
Prouinciâ Flandro-Belgicâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

A D

R. P. CAROLVM
SCRIBANI

Præpositum Prouincialem
SOCIETATIS IESV
in Prouinciâ Flandro-Belgicâ.



VM Antuerpiæ po-
litiores literas do-
cerem, Reuerende
Pater, non semel
cùm exemplis tum
verbis me es adhortatus, vti sedu-
lò me in ea studia abderem, simúl-
que incumberem in scriptionem
argumenti alicuius, quod posteri-
tati aliquando commendari mere-
retur. Ego dicto audiens, circum-

A 2 spice-

spicere cœpi quam ad rem præcipuè me darem, quando tot iam de re ferè qualibet extruſi eſſent libri, ne vel actum agerem, vel minùs etiam agerem quàm eſſet actum. Igitur cùm inter legendum, vti fieri amat, adnotarem frequenter, literarum ſcriptioniſque, veluti per tranſennam, mentionem incidere; meminiffemque nihil eſſe hucusque eâ de re accuratè abſolutèque perſcriptum: & verò etiam interiiffe omnia, quæ plurima de Scriptura ſcripſiſſe Nigidium, ſcripſit Gellius: adieci ſcilicet animum ad hoc vnum, vt rem obſcuram, nec paruum extraherem in lucem. Cœpi primùm magno impetu excutere & veſtigare multa quæ huc facere putabam: ſed
quòd

5

quòd pleraque essent à Scriptoribus præterita, à paucis verò etiam contacta, tantæ mihi vnde quaque obiectæ sunt tenebræ, vt desperarem me esse exitum aliquem reperturum. Subinde tamen abiectum animum collegi, & Fabij Cunctatoris patientiâ rem tentandam esse duxi, donec longâ multaque lectione assequerer, quod breui tempore aut paucorum librorum volutione videbam perfici non posse. Ergo inter studia aliâsque exercitationes ludibundus veluti conieci in chartas quasdam liturarias quidquid de scriptione aut literis veniret in manus; & en res excreuit in librum, eo ferè intervallo quo Antuerpię te Rectore Poësin & Rhetoricã sum professus.

A 3

Non

Non nemo fortè existimabit tot bonas horas à me malè esse collocatas in rem tam exilem & Grammaticam : at ego semper existimaui neminem ita esse iudicaturum qui vel paucas libri huius pagellas vel etiam titulum rectè aestimabit. Non enim de literis tantùm scribo (qui fuisset vnus alteriúsve horæ labor) sed de iis omnibus quæ attinent ad totius *Literaria rei Antiquitatem*; quæ non Grammatica, sed Philologica est tractatio; literæ verò minima sunt huius libri pars: de quibus tamen solis si scripsissem, defenderem me Coruini Messallæ exemplo, qui librum totum de literâ S conscripsit; Passeratij, qui opusculum de cognatione literarum; Probi, Magn-

gnonis, & à Porta, qui libros magnos de Notis; Trithemij, qui volumen de Polygraphiâ: Nicano-
 ris, Diomedis, & viri amplissimi Erycij Puteani, qui libellos de Interpuncti-
 one; Manutij, aliorum-
 que, qui de Orthographiâ. *Neque enim, vt Quintilianus ait lib 1 c. vii. obstant hæ disciplina per illas euntibus, sed circa illas hærentibus.* Quamquam vt à ronchis illis & nasus omnino tutus sim, in sinum tuum, R^{de} Pater, coniicio hunc libellum meum. Ecquis enim mihi succensere audeat, paucula de Scriptione à me scripta esse ad SCRIBANVM? Hoc solo nomine vindicatus videor, etiamsi multis prætereà nominibus hæc meas primitias debeo R^x V^x. Consule igitur æqui

A 4 boni,

boni, R^{de} Pater, hoc quantulum-
cumque affectus & obseruantia
pignus tuo instinctu coeptum &
affectum; diuque Prouincia tuæ
Flandro-Belgicę, quam gerendam
administrandamque accepisti, vi-
ue incolumis. ita voueo. Bruxel-
læ, Kalendis Iunij, M. D C. X V I.

R. V.

Seruus in Christo

Hermannus Hugo.

ERY.